

Alte Drucke

**EPICEDIA, || IN OBITVM AN=||DREÆ, FILIOLI M. ANDREÆ ||
SCHATONIS, PROFESSORIS IN || Academia VVitebergensi:
|| Scripta à cognatis & amicis. || Obiit ...**

Schato, Andreas

Witebergae, [1576]

VD16 ZV 30573

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149070

561
EPICEDIA,
IN OBITVM AN-
DREÆ, FILIOLI M. ANDREÆ
SCHATONIS, PROFESSORIS IN
Academia VVitebergensi:

Scripta à cognatis & amicis.

*Obiit Anno Christi 1576. Nouembris die 18.
paulò ante Meridiem.*



VVITTEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack.

EPITAPHIUM

ANDREÆ SCHATONIS, M.

ANDREÆ FILIOLI QUADRIMI, AB

AVO MATERNO, M. FABIANO THYMAEO

conscriptum.

CHare nepos linguens terras, nunc astra subisti,
Cælestisq; tibi iam benè nota Schola est.
 Sex denos moriens vbi septem impleuerit annos,
 Quadrimum simili sorte sequetur Auus.

A L I V D.

Heu puer Andrea, tibi 5 annos fata viriles,
 Et sobolem mæsto præripuere patri.
 Nomen debueras patrium cum laude propagans,
 Integer expletas miles obire vices.
 Nunc puer heu moreris: cæpit vix balba parentes,
 Vix nostrum in cælis lingua sonare patrem.
 Flosculus vt toto electus qui pulchrior horto
 Carpitur, ante diem sic tener emoreris.
 Nos dolor excipit inde, at te decus: in Paradiso
Insita nam Christo plantula viua viges.
 Nec tibi vis vrens venti, neq; belua morsu
 Noxia, ter propera morte beate puer.

sup. patris ergo in solatium mæsti pa-
 tris faciebat M. Conradus Bergius.

Epitaphium.

*Hoc compôsta loco docti stirps prima Schatonis,
Dormit, ab ærumnis libera facta suis.*

*Nomen idem cum patre fuit, parq; oris imago,
Addita fors olim cætera dona forent.*

*Christo aliter visum: lustri vix vnus annos
Implet, & ad cæli gaudia carpit iter.*

*Quisquis es, & puero Lethum non parcere cernis,
Te quoq; ad ætheream disce parare domum.*

*Wencesl. Gurckfelderus
Tarnowitzensis.*

Ergo

ELEGIA

ELEGIA CONSOLATO-
RIA, SCRIPTA à

MICHAELE THOM,
Belgardenſe Pomerano.

Immatura doles dilecti funera nati,
Atq; dolor cauſis non caret ille ſuis.
Indidit humanis diuinum mentibus ignem,
Ac ſòs γαε illis iuſſit ineſſe D E V S.
Ignis hic eſt Verè diuini teſtis amoris,
Si tamen excelfis iungere parua licet.
Pectora noſtra calènt etenim ceu prolis amore:
Sic pater æternus feruet amore λόγῶς.
Commoda propter eum nobis per plurima præſtat,
Heredes regni dum facit eſſe ſui.
Ergò quis hoc mirum ducat te mente paterna,
Lugentem ſobolis fata dolere tuæ?
Nam veluti patres feralia buſta ſuorum
Mærentes, triſti compoſuère rogo:
Funera ſic noſtrum fletu ſectamur acerbo,
Qui non naturæ perfida turba ſumus.
Et quò nobilior ſplendet de pectore virtus,
Hoc magis affectus mens generoſa capit.
Debita luctiſonis tamen adſit meta querelis,
Ac modus ex verbo pendeat ille D E I.

Ergò

Ergò modum lacrymis quoq; vir clarissime sistas:
Cum pius in sobolem es, sis pius antè DEVM.
Nascimur hac omnes lege, vt moriamur, & omnes
Nil aliud quàm flos, puluis & vmbra sumus.
Cuncti equidem metam mortis properamus ad vnã,
Illa rapit iuuenes, nec fugit illa senes.
Sic etiam clari genitoris amabile pignus
Protinus ante diem tollit iniqua dies.
Quattuor exacte vix vitæ impleuerat annos,
Dum Lachesis properè stamina rupit atrox.
Heu nihil inuitis quenquam fas fidere Fatis,
Hanc vitam nulli mancipioq; dari.
Fluxilis est hominum vita hæc, breuis, atq; caduca,
In qua nil certi vel breuis hora tenet.
Optima quæq; cadunt, eheu, sic flore sub ipso,
Tam nil quod constet totus hic orbis habet.
Vah, fruges pereunt, steriles dominantur auenæ,
Luxuriat lolium, lilia pulchra cadunt.
Ac violæ primis veluti moriuntur in herbis,
Candidaq; in viridi lilia flore cadunt:
ANDREAM quoq; sic primæuo in limine vitæ
Inuida mox fato mors properante tulit.
Occidit ante diem cari spes cara parentis,
Et citò Leucorea contumulatur humo.
Hic supra etatem sapientibus omnia verbis
Grandæui poterat dicta referre senis.

Omnibus eximiam de se spem præbuit, olim
Se magnum ingenio, se pietate fore.
Obstitit at fatum: multis dignissimus annis
Immatura equidem morte solutus obit.
Non obijt, sed abit meliori parte superstes,
Pro terra cæli templa beatus habet.
Quid iuuat ergò nimis tristi indulgere dolori?
Non ablata dolor dona referre potest.
A luctu potius mens iam reuocetur acerbo,
Consilio hæc scimus cunctipotens agi.
Ferre decet cunctos quod fert diuina voluntas,
Consilio illa pio quod facit omne facit.
Insuper, vt cernis, iam sunt teterrima sæcli
Tempora, Luctificis vndiq; plena malis.
Quilibet vt potius cupiat iuuenilibus annis,
Quàm se rugosa claudere fata die.
Pestis enim viduat multas cultoribus vrbes,
Mars etiam toto seuit in orbe potens.
Atq; quis hoc melius sperandum tempore ducat,
Cum scelerum non sit pernumeranda seges?
Publica res, omnes nerui pietatis & æqui
Ac studium veri relligioq; cadent.
Talia ne cernant dulcissima turba piorum,
Eripit hanc terris prouida cura DEI.
Et sicut pueros ad se iubet ipse venire,
Promittens illis cælica regna DEVS:

Sic

Sic quoq; filiolum carum super astra recepit,
Æthereisq; frui dat sine fine bonis.
Protinus hunc medio sublatum turbine rerum
Transtulit in celsi celsa theatra throni:
Cuius saluifica sacri in baptismatis vnda
Certa fuit certo portio facta modo.
ANDREAS igitur meliori sede receptus
Angelicos inter psallit ouatq; choros.
Incola cælestis tantò quoq; gratior aulae,
Quò prior intrauit templa beata poli.
Iam patris & Nati fruitur flatusq; supremi
Colloquio, affatu, concilioq; pio.
Quæ nescimus adhuc benè iam scit & accipit ille:
Felix cui licet hoc occubuisse modo.
Est breue tempus adhuc, tibi cum moderator olympi
Restituet nati viuida membra tui.
Tum tu, tum coniunx, thalami tum pignora vestri
Oscula iungetis mutua, sancta cohors.
Pignoris ergo tui iam vir clarissime funus
Alma iubet pietas flere, dolere minus.
Accipe iamq; tuos solantia carmina luctus,
Illaq; perpetuum pignus amoris habe.
Ac precor incolumem cara cum coniuge seruet
Tempore te longo gratia larga **DEI.**

CONSO.

CONSOLATIO AD M.
AND. SCHATONEM, PRÆCEPTO-
rem suum omni obseruantia colendum,
Epicedij loco scripta, à

LVCA TABBERTHO SEDINENSI P.

INfantes, pueri, iuuenesq; viriq; senesq;
Diues, egenus item, rudis artis, doctus & arte,
Et quisquis fuerit, nullo discrimine habetur:
Obuia cuncta rapit mors, obuia cuncta trucidat,
Vel citò vel tardè, cen stat sententia Summa.

Consilio ille DEI canos & amara senectæ
Pondera consequitur, per & infinita pericla,
Perq; vices varias vitam tot ducit in annos.
Plurima dum Iuuenis, sentit iuuenilibus annis
Grata minus: dum Vir, veniunt grauiora ferenda,
Donec postremò succedens grandior ætas
Omne mali secum genus attrahit agmine denso,
Qua ratione prior quærens sit vita peracta:
Corporis & vires sternit, minuitq; vigorem
Mentis, vt hinc grata olim vita, ingrata trabatur,
In terram donec redeat, qua condita constat,
Quam fixis oculis, vultu quam prona tuetur.
Hinc Pylus Seny pertæsus tempora acerba:
Cum nullis habilis rebus sed ad omnia ineptus,
Tum iuuenile decus, iuuenilia pectora poscit,

Vt

Vt virtute queat conquirere nomina magna.
Niq̄ voluntati Diuū parere deceret,
Nemo sibi rugas peteret pigramq̄ senectam.
Nam nihil hæc vita est, nisi cura, altusq̄ malorum
Oceanus, quo nemo potest emergere, multa
Ni sint sorpta prius, vitamq̄ exhausta per omnem
Tristia: & inde tamen penitus submersus in illum,
Morte eluctetur, tandemq̄ in morte quiescat.
Sed non est statio vitæ relinquenda cuiquam,
Absq̄ Dei imperio, qui ius vitæq̄ necisq̄
In nos solus habet, manuum monumenta suarum.
Cumq̄ Dei veri laudes & nomen in orbe
Dicere conueniat, non omnes esse sepultos
Expedit, aut morte immatura cedere vita
Flos æui quibus est, iuuenes, anniq̄ valentes.
Esse Magistratus, Doctores, esse Magistros
Fas est, qui forment vera pietate, bonisq̄
Artibus in vita populos, moresq̄ gubernent.
Sed cum decursum spacium, tribuere benigni
Quod Superi nobis, tandem nos vita relinquit,
Vita molesta satis, varijsq̄ exacta periculis.
Qui Iuuenis moritur, non fortunatior illo
Quisquam censendus: rapitur, ne tristia multa
In vita videat, nec per consortia praua
Gentis corruptus prauæ, det criminis æquas
Pœnas, & forsan descendat ad infera regna.

B

Hunc

Hunc iuuenem mors atra rapit, cui Iuppiter æquus.
Quisquis es ergò cui præter spem stamina rumpunt
Parcæ, ne moueare nimis, nimioûe dolori
Incumbas tristis: mors est properata probanda,
Et quæ sunt cita fata eadem scita esse memento.
Quò possis etenim citius contingere sedes
Æthereas, celeri fato duceris ad illas.
Nec sobolem, Patres, nimium lugete querendo,
Si qua Deum iussu teneris extincta sit annis.
Ceu sequitur mors atra ortus, sic vita perennis
Consequitur nostros obitus: qui nascitur ergò
Nascitur is moriens, moriens viuitq; vigetq;
Instar habet cursus mortalis vita citati,
Quo, quotquot viuunt homines, contendere fas est.
Meta satis nota est, excelsi regia cæli,
Estq; datum signum, quamprimum eximus in auras.
Hæc loca sunt capiunda, omni cursuq; petenda,
Et turpe est segnem consistere limine eodem.
Qui prior attigerit metam, donatus abibit
Ille prior, laudemq; feret cum munere magnam.
Dumq; alij, longo post se quos ordine liquit,
Ad metam properant dictam, ille recolligit ante
Corporis exhaustas vires, letusq; tuetur
Prima tenens, reliquos simili contamine cursum
Vrgentes, donec loca deuenere petita,
Mox vbi, ceu meritis, pœnas vel præmia quisq;
A Ioue

A Ioue digna feret, qui Rex est omnibus idem.

*Linq̄ue igitur curas, iustum moderare dolorem
Docte vir ô SCHA TO. primis quod concidit annis
Dilectus natus, qui te referebat amico
Nomine, quiq̄ olim factus æquare parentem
Te ANDREAM potuisset: idem si Rector olympi
Decrenisset: at hæc potior sententia visa est
Atq̄ Deo melior, Puer hic vt linqueret hæc
Mortales terras, caperetq̄ perennia regna.
Et prior ad metam sedet, expectatq̄, reliquit
Quos alios post se, sperans dona, optima dona.
Sed vereor, luctus & acuti in corde dolores,
Quos sentis, prorsus ne pellant verba leuantis,
Nec tolerare queant, ceu saucia membra medentum
Ad tactus horrent, & forsã dixeris inde:
Tunc meas reprimis lacrymas? aliena pericla
Haud multum, afficiunt tunc parum, quæ quæq̄ fatigat
Aspera sors, premit illa magis, magis illa molesta est.
Erepta est rapidis fati, & ab ubere rapta,
Margaris, vnica cura mihi matrisq̄ voluptas:
Nec dum etiam tristis luctus seuq̄ dolores
Exciderant animo. manet alta mente repõstus
Interitus præceps, quo MARGARIN abstulit atra
Mors, teneram in cunis, & adhuc sine voce iacentem.*

Hæc super ecce venit, dolor ô dolor, altera cura:
(Hæc grauis hæc prærens, cordis penetralia tangit)
Addiderat totidem menses iam quattuor annis
Paruulus *ANDREAS*, decimo sextumq; diei,
Cum placidè moritur, caperet ceu munera somni.
Lux aderat cum fausta parum, bis nona Nouembris,
Hic ubi Leucorei fines clarumque Licèum.
Hic quis contineat fletus, quis temperet ergò
A lacrymis, forsàn ni Stoica turba vetabit?
O dulces nati, dum fata Deusq; sinebant.

Hosce tuos fateor fletus tristesq; querelas
Corde venire, sui generis quod flagrat amore:
Quod iubet & pietas, summi & fabricator olympi
Approbat, humanas etenim sic condidit ipse
Mentes, ut doleant, pariter letentur ut ille,
Optima si fuerit facies, seu pessima rerum.

Ne tamen omnino, ne consolantia verba
Temue, leua luctus tantos & lumina sicca.
Cura retenta diu nocet, & succedit ad ima
Ossa, facitq; hominem absumentis tabere medullis.
Omnipotentis erit tibi perpendenda voluntas,
Causaq; contemplanda grauis morbiq; potentis.
Aluus laxa nimis, quid & hinc voluere dolores
Ingentes orti, nisi quod vis noxia membris,
Hæserat insinuans, & viscera tosta liquabat.
Causa fuit feruens Epar, quod pocla petebat

Grata

Grata sibi, nocitura tamen, quò pelleret æstus.
Hinc exorta febris, quaterna quaq; recurrens
Luce fuit, melius signans hos Epatis ignes.
Et fuit hæc ortus morbi, primasq; tenebat:
Hinc alui læsæ vires, prostrataq; virtus,
Quæ non vlla magis cupiebat pabula, semper
Potus erat desiderium, potusq; leuamen
Heu, vtcunq; fuit: quamuis foret utilis ægro
Esca, omnem tamen hanc repulerunt ora coacta.
Adiutura ægrum tandem Natura benigna,
Sola graui morbo fortis quæ sæpe resistit,
Materiæ putridæ partem contraxit, in ipso
Epate quæ conclusa fuit, statuitq; videndum
Ante oculos cute sub clara, sub pectoris ima
Parte vlcus, simili, velut est cutis alba, colore.
Dixisses, non illa mihi pars læsa videtur,
Inde nec emergent, quæ sint nocitura puello:
Ni tumor exilis quidam exoritura notasset
Nec iucunda ægro, caro nec grata parenti.
Conuenère citò, quibus est concessa medendi
Copia tota, viri clari, perquirere causas
Omnibus haud penitus notas, tanti vlcus instant.
Inuenère etiam primordia prima dedisse
Epaticos ignes: operæ, nulliq; labori
Parcitur: & tu doctæ Parens, doctrina medentum
Cui perspecta probè, nulla intentata relinquis

Quamprimum morbo tanto releuetur vt eger.
Et tactus adbibens, vsu praeclarus & arte
Chirurgus molles, en parte explorat ab omni,
Et tacitus secum via quae tentanda volutat:
Donec consilio facto, qua parte decebat
Vlcus idem ferro cautè contingit acuto,
Effluat vt sanies agrè contenta, leuamen
Vt laesis veniat membris, meliusq; iuuetur
Natura, & tandem fiant salua, omnia salua.
Nec spes nulla aderat, mediocria cuncta fuere
Principio: verum nullas admisit vt eger
Quae medicina dapes adhibere iubebat eidem
Viuificas, non tum potuit natura sua vi
Haud adeò valida morbum superare valentem.
Vieta igitur cessit, serpunt contagia latè.
Affectumq; iecur tota sub parte sinistra,
Istius vt iuguli dolor inde notabat acerbus,
Traxit & attraxit quaecunq; propinqua fuere
Viscera, tum partes circuncirca inficit omnes.
Ab superat morbus, penitus natura labascit
Ingenti vi vieta, nihil medicamina possunt.
Nil valet, heu, cessat medicorum industria solers,
Sed valet arte malum plus docta, vincit & illam.
Absumti tandem soluuntur corporis artus
Frigore, tum pallent amisso sanguine venae,
Morsq; velut somnus blandis irrepit ocellis

Blanda

Blanda, grāui corpus pueri soluitq̄ dolore.
Sed petit astra animus superasq̄ euadit ad auras,
Quas votis persæpe pijs paulò ante petiuit
Sanus adhuc, dicens: se Margarin esse sororem
Cælo visurum caram, nec velle morari
Hisce diu in terris: castus se velle ministris
Spiritusq̄ breui ætherea colludere sede:
Quæ non vana fuere illi præfagia mortis,
Præsensitq̄ puer venturæ gaudia vitæ:
Ad quæ translatus nunc gaudia grata capeßit.
Mitte igitur fletus, lacrymis vrgere beatum
Clare vir ò SCHATTO, cesses, tua pectora serues
Sed grauibus rebus: sentis quos pectore luctus
Voce leuare decet sacra, solatia vera:
Non aliunde etenim tristi sub sorte petuntur.
Si lacrymæ possent amissam reddere vitam
Vita defunctis, viuus nunc ducere t auras
Paruulus Andreas, fortisq̄ rediret in annos
Fortes, & forsan superaret Nestoris æuum.
Sors ea sed lacrymis non est concessa caducis.
Nil iuuat exanimes nimium deflere beatos,
Sed nocet ille dolor, viuorum absunit & ossa.
Qui semel est vita functus mortalis honesta,
Conspectuq̄ DEI fruitur, non appetet ille
Has iterum terras, & regna perennia linquet.
Qui viuus, tolerat miser ille miserrima multa,

Qui

Qui ponit vitam, cuncta ille incommoda ponit.
Hanc soboli potius iam nunc gratare salutem,
Tàm citò quod vitam liquit, quò longius esset
Ante DEVM cælo quod posset viuere tempus.
Sic & ego tecum tristes hîc mitto querelas,
Quas testata satis fuit hæc: properata tabella.
Christe Dei soboles, Dominus qui mortis & orci,
Quando tibi visum est & nos excedere vita:
Da petimus placidum vitæ finemq; beatum,
Vt pueris similes, sine labe & crimine fædo
Regna beata Patris capiamus, sanguine nobis
Quæ sunt parta tuo, æternùm æternùmq; parata.

EPI.



EPICEDIVM, SCRIPTVM
A CASPARO SCHATONE,
PATRVO.

Parue puer, sed spes olim non parua parentis,
Hic tua palliduli corporis ossa cubant.
Indolis egregiæ puer, ingenijq; capacis,
Quam citò te nobis abstulit atra dies.
Te mirata fuit doctarum turba sororum,
E quibus vna patri talia dicta dabat:
O genitor puerum doctis largire Camænis,
Ille decus nostrum grande futurus erit.
Mens illi docilis, studijs & mitibus apta,
Promtaq; iam sacras lingua sonare preces.
Dij faciant, viuat multos vt sospes in annos,
Pierij & multo scandat honore iugum.
At superùm Rex, Musarum pater atq; patronus,
Qui doctos hominum seruat amatq; greges,
Vidit & indoluit, diuinas sperniet artes
Passim, nec doctis præmia adesse viris.
Ergò citò ingenij præstantes dotibus aufert,
Præstarent patriæ qui bona multa suæ:
Hos ad se recipit, doctis vbi munera digna
Attribuit, vita perpetuaq; beat.

C

Sic

Sic quoq; te in primis etatis sustulit annis
Morte nimis celeri prouida cura DEI.
Eripuit Deus ingrato quia commoda mundo,
Olim per tua quæ dona daturus erat.
Sed, quæ sæpè tibi generosa gaudia mente
Fingebas, eadem nunc capis ante DEVM.
Cum grege cœlicolum tua mens super aethera uiuit,
Æternum celebrans facta stupenda DEI.
Corpus humi parua placidè requiescit in urna,
Expectatq; diem maxime Christe tuum.
Omniuum felix, cui primo in flore iuuentæ
Scandere Parca dedit regna beata poli.

B.

O wie wohl Dem ist, Der in
Jinnig lugendt. Irkett.

ALIVD.



ALIVD.

ὡς ῥόδον ἀσπορὸν ὄλεθ' ἄμα δ' ὀδὸν ἠχῶσε χάρις
 οἰχοντ', ὡραῖα πρὶν δρόμον ἦλθε χρώντ':
 ὡς ἄρα καὶ θεὸς παῖσ' ὤλισσεν ἀνέλεον ὄλεθρον,
 ἢ ἀνθεσιν ἐν μαλακοῖς καρπὸς ὄλωλε τεός.
 αὐλινὰ δὲ σοναχῆσε πατὴρ καὶ πότια μήτηρ,
 θυμαλγές ἐν ἰὼ κήρι ἔχουσι ἄχθον.
 ἀλλὰ θεὸς σοι ἔπειθε κρήνην ὅσα πολλάκις εἶπες:
 πρὸς ἑραΐδας ἤξω οὐρανόθεν ἀγγελικὰς,
 ἢ χίπες ἐνεθήσω τάδε πάντας, ἵνα περὶ πᾶσι πέλονται,
 πάντων καὶ μόλιων, ἢ δέεις ἢ δ' ὀάρας.
 ὄλεθρον ἐν ζωῆς ἀγαθὸν βίον, ἡμερσίν ἄ
 ἐν κόλπῳ χριστῶ, νόσφιν ἄπερτε πότων.
 αὐτὰρ ἐγὼ τὸ παρήμερον οἶδ' ἔπειθε: ἰδὲ περὶ αὐθιγῆς
 σὺν κασιγνήτῳ, ὄμμασι τίσι δὲ βλέπων.
 χαῖρετε ἰὼν ἡμᾶς τέκνα δ' ἑλπίδας, ἵσκιερ' ὑμῶν
 χριστὸς σῶμα τόφρον ἔμπνοον ἱκαλέσῃ.
 τῆμεν ἄρ' ἀθάνατοι χριστῶ μετὰ παμβασιλῆον
 ζήτομεν, ἀνάφω χάριματ' ἀγαλλόμενοι.

*Pater maestus filiolo
 chariss. faciebat.*